

viter compellantur omnes ut ad hoc divinum pabulum frequenter accedant, illud in remedium salutis suae recipientes. Dominus enim amanter dixit: "*Nolo eos jejunos dimittere in domum suam.*" Scit misericors Salvator quod plurimi saepe labuntur et peccant, cito torpescunt et deficiunt; corporisque sui per frequentem perceptionem omnes renovat et mundat.

Grati fideles pro tantis beneficiis, offerant persaepe communionem, ut ignis coelestis omnia pariter incendat, a cordibus eorum omnem suspicionem, indignationem, iram, discrepationem, et quidquid potest caritatem laedere vel fraternam dilectionem minuere, auferat; tandem et super omnia, reparet, expiet et deleat omnia sacrilegia et contra Sanctissimum Sacramentum injurias, imprecationes et falsas impiorum et haereticorum doctrinas.

Ut, eodem stimulo instigati, assiduos adoratores venerabilis Eucharistiae multi sese praestent, parochi maxime elaborabunt, cultum ejus perpetuum tuentes, et fideles excitantes ad praestantissimam illam devotionem. (*I. Syno. diac. De veneratione ac devotione S. Eucharistiae exhibendis.*)

Tandem egregium medium salutis sibi parabunt et innumeras gratias conciliabunt pastores, si in quindenos circulos formentur fideles ad Rosarium vel Rosarii partem quotidie recitandum simul aut seorsum, cogitantes dum precantur, de aliquo mysterio vitae, mortis et resurrectionis Domini Nostri. Sic aliunde edocebuntur, quo modo utile meditationis exercitium et in eo proficiunt.